AD

AUDIENDAM PUBLICAM ORATIONEM

# DE DISCORDIA INTER COELESTES MARITOS

PRO

ADITU MUNERIS PROFESSORIS ORDINARII IN FACULTATE PHILOSOPHORUM BONNENSI

DIE X. MENSIS MARTII H. XII. IN AULA VICARIA

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CAROLUS IOSEPHUS SIMROCK
PHIL. DOCTOR.

INSUNT VATICINII VALAE VINDICIAE.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCLIII.

## Vaticinii Valae Vindiciae.

Cum Gualtherus a Vogelweide 67, 17–19 mundum ita alloquitur:

dîn jâmertac wil schiere komen,
und nimt dir swart uns hâst benomen
und brennet dich dar umbe iedoch.

ad eiusdem per ignem interitum alludit, quem pro poena accipit. In quo sive sacram scripturam sequitur, sive ethnicas Germanorum opiniones, quales et hodie vulgo feruntur, et tunc temporis latius etiam diffusae erant. In alio carmine 21, 25–37., ubi diem supremum iamiam imminentem describit, aperte respicit scripturam sacram, certe quod ad signa attinet, quibus adventus eius portendi perhibetur. Eiusmodi signa numero erant quindecim, ut media aetate credebant, librorum sacrorum et cum aliorum interpretum tum praecipue S. Hieronymi auctoritate usi. Quod autem poeta praeter cetera commemorat ea signa, quae ad rerum rationem, maxime ad domestica discidia pertinent:

dîn sunne hât ir schîn verkêret,
untriuwe ir sâmen ûz gereret
allenthalben mo den wegen:
*der vater bî dem kinde untriuwe vindet,*
*der bruoder sînum bruoder liuget,*
geistlich leben in kappen triuget,
die uns ze himel solten stegen;
gewalt gêt ûf, reht vor gerihte swindet:
wol ûf! hie ist ze vil gelegen.

sicut et Vridanc (Besch. 46.):

*Sit beide vater unde kint*
*ein ander ungetriuwe sint,*
*und bruoder wider bruoder strebet,*
*und mâc mit mâge übele lebet —*
sô solt ir wizzen âne strît,
uns kumet schiere des fluoches zît.

in c nescio an gentilitatis quasi quaedam vestigia lateant, quae cum mundi interitum ex communi morum corruptela repeteret, tanquam summum omnium quae fingi possunt facinorum violatum habebat sanguinis nexum, quo nihil Germanis sanctius erat. Sic habet Vaticinium Valae Voluspâ Str. 46.:

Brodhr munu berjask ok at bönum verdhask,
munu systrungar sifjum spilla;
hart er í heimi hördómr mikill,
skeggöld, skálmöld, skildir 'ro klofnir,
vindöld, vargöld, âdhr veröld steypisk.

i. e. fratres invicem pugnabunt, alter alterum occidet, consobrini adfinitates violabunt; graves calamitates accident, frequentia adulteria, aetas securium, aetas ensium, scuta frangentur; aetas ventosa, aetas lupina, antequam mundus corruat.

Iam vero Weinholdus, antiquitatum Germanicarum peritissimus, signorum ad morum depravationem spectantium commemorationem profectam esse censet ab homine Christiano, qui carmen illud postea in ordinem redegerit (Hauptii Zeitsch. VI, 313.). At mihi non solum locus integer videtur, verum etiam, si potero, ostendam, totius carminis summam in eo cerni, ut mundum sine vitae sanctitate, maximeque sine pietate constare non posse declaretur.

Quod Weinholdus statuit, Voluspam tum demum compositam esse, cum christiana religio incolis terrarum septentrionalium innotuisset, hoc est inito saeculo nono (l. c. p. 315.), id iam Dietricus Marburgensis (Zeitsch. VII, 304—18.) ad examen vocavit refutavitque, allatis testimoniis, quibus antiquior eius origo probatur. Idem quod nostrum locum attinet, ante omnia de duabus rebus, in quibus quaestionis cardo vertatur, disceptandum esse vidit:

I. an soli Germani gentiles Helae i. e. inferis, ubi omnes sine certamine defuncti reciperentur, locum assignaverint impiis puniendis.

II. an opinionem, quam de mundo ante eius interitum summa nequitia demerso conceperant, nullo pacto ad Antichristum Novi Testamenti referre liceat.

Ad I. commemorat fluvios, quos ut Slidhr (Vol. 42.) fluvium, coenum gladiosque (saurum ok sverdhum) per valles virulentas (um eitrdala) volventem, sicarii, per-

iuri, moechi menn mordhvarga ok meinsvara ok thaun annars glepr eyrarunn) vado transire debent; nec draconem, qui corpora talium facinorosorum exsugit, lupumque ea dilacerantem thar saug Nidhoggr nái framgengna, sleit vargr vera) omittit, simulque monet, haec non esse Christianorum inferna, ubi impii igne inter ululatum dentiumque crepitum puniantur, sed esse propria Germanorum inferna aquosa, quae cum Graecorum potius Tartaro cognationem habeant, ubi Danai filiae et Tantalus itidem aqua poenas dant, quemadmodum ipse Nidhoggr cum vulture Prometheo comparari possit. De Germanorum infernis aquosis idem postea Zeitsch. IX, 175—186. peculiariter disseruit tamque accurate, ut non nisi pauca, quae addam, habeam.

1. Cum Grendel, immane illud monstrum, in Heorot, Hrodhgari regia, quam hucusque infestaverat, Beówulfium multo se viribus validiorem sensisset, iam in eo erat, ut fugiendo ad loca, quae incolebat palustria, salutem sibi pararet. At ille brachio cum retinere omnium virium contentione nitebatur. Tum Grendel brachium humerumque articulis evulsa in manibus victoris reliquit aufugitque in paludem, iucunditatis expertem sedem petiturus:

— scolde Grendel thonan
feorhseóc fleón under fenhleódhu,
séccan wynleás wic. Kemble 58.

Iucunditatis expers sedes appellari videtur, quoniam palus animo poetae obversabatur ut locus poenae aerumnosus et miserrimus. Nec minus odium sub aqua habitandi poetam tenet narrantem, ut Grendeli mater, filium ultura, domum suam igne collustratam, multisque thesauris repletam, reliquerit:

— — Grendles módor
ides aglæc wif yrmthe gemunde,
se the wæter egesan wunian scolde,
cealde streámas. Kemble 89. 90.

i. e. Grendeli mater, immanis mulier, miseriae recordabatur, quippe cui aquarum horrenda incolenda essent, frigidi fluvii.

2. In Germanicis fabulis et narrationibus, quibus non paucae alioquin Germanorum memoriae gentiles continentur, inferna Dietricus (IX, 176.) censet ex imis puteis iam non nisi laetum aspectum habere, utpote quae pratis viridibus magnificisque aulis et domiciliis amoenissimis splendeant. Verum et hic non desunt, quae contrarium probent. Quamquam enim in Puerili illa fabella de domina Holla (Grimmii K. M. 24.) diligens puella proemio dignatur, iners poena afficitur, utraque autem amoenum sub aqua pratum invenit, Hollaque

utrique horrida specie apparet, tamen in narrationibus variis K. M. III, 45. sqq. collectis una legitur, in qua inera in aedes caliginosas ad angues bufonesque ducitur, quod satis evidenter ad Orci apud Germanos aquosi similitudinem accedit. In alia narratione (l. c.) ipsa mulier puteana diligenti puellae se offert formosa, eaque sine dubio antiquissima vulgi opinio est, cum contra narratio, qua Holla diligenti puellae specie tetra apparuisse dicitur, non minus corrupta putanda est, quam quod inerti commoratio sub aqua visa sit suavis. Amoenum illud pratum, piorum sedem, sontibus ingredi non licet; arceri certe eos, qui sibi ipsi mortem conciverunt, firmis testimoniis efficitur, e. gr.:

swer im selbe den tôt tuot,
den geriuwet diu vart
und ist im ouch verspart
diu wise dar dô komen wilt,
an der Blanscheflûr nû spilt
mit andern genuogen,
die sich nihil ersluogen.

Flore und Blanscheflur ed. Em. Sommer. V. 2422—28. Cf. Myth. 782. et D. S. 4., ubi Holla mulieris formosae candore in ipso lacu apparet.

3. In Annotatt. ad Bertham*) demonstrare conatus sum, Helam, inferorum deam, quae in Edda iuniori D. 34., quod nemodum explicuit, dimidia corporis parte nigra est sive livida (blá), dimidia alba sive colore cutis humanae (medh hörundar lit), potuisse aut Berthae lucidae aut tenebrosae Huldae (Hollae) speciem prae se ferre, prout hominibus vel album vel nigrum corporis sui latus obverteret, haec autem Helae latera duo ex recentiori vulgi opinione non iam indole ac natura, sed nominibus tantum Holdae et Berhtae discreta mansisse, cum utraque formosa et deformis, mitis et austera appareret, prout vel poena vel praemium persolvendum esset. Itaque in domiciliis Helae, quorum imaginem Edda fere ubique horrendam proponit, quemadmodum ipsi deae tristem horribilemque gnúpleit ok grimmlig aspectum tribuit, primitus non solum loca noxiis puniendis, verum etiam aurea piorum palatia videntur fuisse, licet haec postea in summum Asgardi iugum translata sint. Vestigia talium apud inferos locorum, quos beati incolunt, agnoscere ego mihi videor in aula aurea, quae est in Nida rupe inferna (á Nidhafjöllum Vol. 64.) et in alia nomine Brimir (ib.) in Okólnis. Quin etiam secundum Vegtamskvidham Str. 12. in Helae

*) Berhta die Spinnerin. Von K. Simrock. Frankf. 1850.

domiciliis expectato Balduro sedes iam annulis sparsa, lecti auro distincti, mulsumque poculis infusum est, prorsus ut in Valhalla apparatus ad excipiendos heroas regesque caesos instruuntur:

vektha ek Einherja (kvadh Ódhinn), bædha ek upp risa,
bekki at strá, bjórker leydhra.
Valkyrjur vin bera, sem vini komi (Eiriksm. Skáldsk. c. 2.).

i. e. Einheros mihi videbar somno excitare, iis praecipere ut surgerent, scamna stramine sternerent, vasa cerevisiaria purgarent, caesilegis (Valkuriis) ut vinum adportarent, ut si rex adventaret.

Atque Hermodus, qui (D. 49.) ab Odino ad inferos missus erat, ut Balderum ab Hela redimeret, Tartari cancellis equo superatis, cum aulam ingressus esset, Baldurum fratrem celsa sede sedentem conspexit. Itaque existimandum est, Balduri adventum iam magnifice celebrari, apparatu, ut ex Vegtamskvidhae locis laudatis patet, ante instructo. Quibus autem formosissimus idemque optimus Asarum (D. 22.) excipitur, honores indicio sunt, in Helae regno praemia non deesse, unde quae ipsis contrariae sunt poenae probabiliores redduntur. In Valhalla tantummodo nihil loci est suppliciis. Nam Odinus sedes suas coelestes inhabitandi communionem tanquam mercedem proelio tantum occisis tribuit.

4. Pontem ad inferos ferentem custodit virgo Modgunna (D. 49.) dicta, quod nomen ad conscientiae angorem referendum videtur. Eiusmodi cruciatu afficiebatur et Brunhilda, cum inferos peteret secundum carmen Eddicum Helreidh Brynhildar. Nimirum ingenti mulier corpore, viam per aedes saxis suffultas (gridti studda gardha mina) praeclusura, ei obiecit quaecumque apud superos deliquisset. At Brunhilda purgat se et ad extremum, Apage, inquit, monstrorum foedissime (sokkstu, gygjarkyn)! Cuicuimodi autem fuerit ratio inter inter mulierem istam et Modgunnam sive Helam, id sane manifestum est, ad inferos migrantium non parum interfuisse, quomodo his in terris vixerint.

Ad II. Non ita plene accurateque ea mihi Dietricus videtur conquisivisse, quae Voluspa aliique Eddarum loci ad diiudicandam alteram illam quaestionem suppeditant. Nimium sane dat, cum l. c. VII, 309. ea, quae in Voluspa 46. de mali abundantia ante deflagrationem mundi futura leguntur, nullo testimonio firmari concedit. Immo rationem, quae inter morum depravationem ingravescentem et interitum mundi deorumque intercedit, mihi quidem Vala fatiloqua ab initio usque ad finem adeo respexisse videtur, ut totius carminis consilium aliunde explicari nequeat. Quapropter haud vereor dicere, si a Taciti Germa-

nia discesseris, nihil esse, quo populi nostri sanctitas clarius explendescat, quam Eddis et praecipue Valuspa.

Ac primum quidem Str. 8. vates simplicitatem deorum depingit, qui animo hilari in aula tesseris ludunt, nec auri famem norunt.

Mox simplicitas illa prisca abit, ubi tres gigantese virgines e Titanum regionibus advenerunt. Agnoscimus in iis deas, quae tempori praesunt, Nornas. Nunc demum tempus incipit; nam quod nos aureum vocamus saeculum (scilicet quod auro carebat, ut nescio quis lepide dixit) omni tempore prius est.

Iam dii nanorum catervas creant, qui aurum fodiunt. Ex auro oritur malum mundi. Str. 25.

In Str. sequenti dii tribunalia occupant et deliberant inter se, poenasne a proditoribus expetant, an placatis acquiescant. Ante malum in mundo ortum haec quaestio prorsus inanis fuisset.

Ex malo iam gignuntur miseriae, ante omnia bellum, ac primum quidem illud, quod inter deos ipsos, h. e. Vanos et Asas (Str. 28.) gestum est. Idem, ni fallor, bellum erat, quod (D. 23. 57.) ea conditione componitur, ut Njördus eiusque liberi Freyus et Freya obsides dentur Asis. In qua re fortasse significatio inest ingruentis perniciei. Potest enim fieri, ut hi dii, qui libidini et cupiditatibus praesunt, tanquam Asarum consortio indigni designentur. Utut est, finito isto bello, aliud idque multo acrius certamen nequaquam compositum est, inter Deos et Gigantes, inter bona et mala numina. Inter utraque aeternum erit bellum. Neque tamen dii victoria tandem carerent, nisi ipsi impii facti essent, seseque pravis cupiditatibus, avaritia praesertim, inquinavissent.

Paullatim deorum mores etiam deteriores fiunt: iam foedera violant, nec iuris iurandi rationem habent, Str. 30. Quin etiam, ut in Genesi, amisso Paradiso, caedes fraterna committitur, ita ipsi dii, Lokio instigante, fraterno sanguine cruentantur, Str. 36. Atque caedis istius ultio rursus altera caede exigitur, cum in Balduri mortis vindictam Hödurus a Valio fratre occiditur. Vol. Str. 37. 38. cf. D. 30. 33. Vegtamskv. 15. 16.

Atque nunc etiam lupi duo procreantur et aluntur, qui deorum crepusculo et solem et lunam devorent, Str. 32. Quod autem lupi sanguine occisorum pasci dicuntur (fyllisk fjörvi feigra manna), id iam Edda iunior D. 12. non recte intellexit. Nam si verum esset, quod alterum eorum ait omnium hominum qui moriuntur carne impleri, prorsus sensu careret, quod sequitur: rýdr ragna sjöt raudhum dreyra: i. e. rubefacit sedes deorum rutilo sanguine. Immo intelliguntur bello caesi, nec vero qualicunque bello caesi (nam Germani utique a bello

adeo non abhorrent, ut bella potius ac proelia spirent), sed bello iniusto, bello fraterno caesi. Eiusmodi bellum revera intelligi, patet ex D. 51., ubi lupi isti solem et lunam non ante devorant, quam ubi aetas ventosa, aetas lupina advenit, affinitates violantur, fratres se invicem impugnant vitaque privant. Haec futura tempora respicit etiam ipsa Str. 33.:

svört verdha sólskin of sumur eptir,
vedhr öll vályndi.

i. e. nigrescit solis splendor aetatibus sequentibus, omnes tempestates aestuabunt. Quibus verbis, ut ipsa D. 51. censet, nihil aliud significatur nisi hiems illa magna Fimbulvetr dicta, „quam tres aliae hiemes praecedunt, quibus ingentia proelia per totum terrarum orbem committuntur: tum fratres avaritiae causa se mutuo interficiunt, nemo patri aut filio parcit.“ Lupi isti appellantur Fenreris progenies, quia eiusdem generis sunt ac lupus ille, cui extremo certamine deorum adversus perniciosorum monstrorum vim pater mundorum devorandus est, Völ. 54. Wafthrudn. 58. Qui lupus a Tyre alitur (D. 34.); hic enim solus eum adire et pascere audet. Illud quoque nemo, quantum sciam, hucusque explicuit, cur Tyri hoc pascendi munus mandatum sit. Verum cum iam liqueat, quam ob rem lupi illi sanguine et carne iniusto bello occisorum saginentur, ne huius quidem rei explicatio multum difficultatis offerre potest. Constat Tyrem bellorum deum esse, cum autem Odinus ipse rerum bellicarum arbiter sit, non ineptum videtur, si Tyrem lupum pascentem hoc loco pro deo acceptum credamus, qui iniusto et cum affinitatum violatione coniuncto bello, quale Germani adversabantur, praeesset. Tyrem gigantibus affinitate coniunctum esse, ex Eddico carmine Hymiskvidha (Str. 5. 7.) patet.

Iam vero imagines in Völuspa propositas ad mores pertinere, longe clarissime elucet ex mentione navis Naglfar dictae, qua (Str. 50.) gigantes pruinosi (Hrimthursar) in certamen adversus deos advehuntur. Haec navis ex unguibus mortuorum aedificatur (D. 51.); cumque praecipiatur, ne quis defunctorum ungues resecare omittat, quia navis aedificatio, quam et dii et homines quam diutissime dilatam cupiunt, alioquin celerius ad finem perventura sit, perspicuum est, eos solos ungues ad aedificandam navem, quae interitum mundi afferat, adhiberi, quos propinquorum inhumanitas in mortuis recidere neglexit.

Bene quidem observatum est Myth. 775., ista ex unguibus structura navis significari, mundi interitum longe abesse summaque tarditate procedere. Dum enim navis ex minutis unguium resegminibus conficiatur, satis superque temporis esse, moramque insuper eo existere, quod defunctis omnibus, antequam sepeliantur, ungues resecandi sint.

Verum enim vero pietatis simul officium inculcatur et unusquisque pro virili efficere iubetur, ut quam possit diutissime mundi interitus differatur. Hoc autem officio alioque, quod in certamine Vidari cum lupo commendatur et in eo constat, ut pellium laciniae abiiciantur, quibus magnus calceus conficitur, quem Vidarus in fauces lupi intrudit — ideoque has pelliculas abiicito, quicunque Asis operam navare cogitaverit! D. 51. — his igitur officiis ad religionem et mores pertinentibus qui funguntur homines, ad consortium deorum evehuntur, quibuscum interitum mundi propulsent. Qui etsi nullo pacto prohiberi poterit, tamen cum alios deos tum praecipue Odinum summo studio id agere videmus, ut opes suas contra naturae vim formidulosam, gigantum specie indutam, augeant et confirment. Quapropter Odinus nobilissimos heroas ac reges, quos in proeliis occidi passus est, in aulam coelestem evocat, ut in ultimo discrimine opera eorum utatur. Hinc etiam mortales in proeliis decet fortiter pugnare et ferro potius quam fato obire. Ita enim opes Odini augentur diique in debellandis hostibus adiuvantur. Nec illud repugnat, quod in hoc certamine dii superantur. Mundo enim instaurato et flammis purgato, ipsi renascentur dii, infesta autem numina, gigantes, non renascentur. In locum inquinatorum deorum, cum infestum quidvis extinctum fuerit, iam recens et ab omni culpa vacuum deorum genus succedet. Officia illa, quae ad mores religionemque pertinent et ritibus quibusdam observandis continentur, nihil aliud spectant, nisi ut homines admoneantur, deorum se socios et adiutores ad gigantes, communes hostes, debellandos esse oportere. Nec officia erga mortuos ex arbitrio iuncta sunt, quale illud, quod ad pellium lacinias pertinet, videtur esse. Nam quod ex mortuorum unguibus non resectis navis exstrui narratur, quae immanes gigantes advehatur, idem valet atque illud, quod de lupis solem et lunam devoraturis memoratur, eos cadaveribus violata affinitate occisorum pasci. Cum enim morum depravatio eo processerit, ut avaritia ad caedem fraternam pelliciat, filium in patrem, patrem in filium armet, tum mundi finis instat; siquidem cadaveribus ita caesorum saginantur lupi, qui solem lunamque devorent. Idem inhumanitate invalescente accidit; nam ex unguibus mortuorum insepultorum navis fit, qua numina advehuntur infesta. Hic sensus est carminis, quod ut mirum videtur non intellectum, ita intellectum maiorum nostrorum humanitatem non minus quam posticam virtutem testimonio comprobat luculentissimo.

Ceterum officium pietatis erga mortuos, etsi ad propinquos maxime spectat, nequaquam tamen his finibus terminatur. In Sigrdrifumál 33. 34. describitur tanquam officium, quo omnes omnino homines tenentur:

33. That rædh ek thér it niunda, at thú nám bjargir,
hvars thú á foldu finnr,
hvárt eru sóttdaudhir edha sædaudhir,
edha 'ro vápndaudhir verar.
34. Haug skal göra hveim er lidhinn er,
hendr thvá ok höfudh;
kemba ok therra, ádhr í kistu fari,
ok bidhja sælan sofa.

i. e. id tibi nouum consilium do, ut mortuorum corpora abscondas ubicunque super terram inveneris, sive sint morbo exstincti, sive sint mari exstincti, sive sint ferro exstincti homines. Fiat tumulus cuique defunctorum, laventur manus et caput, comatur et tergeatur priusquam capulo inferatur, et oretur ut salvus dormiat.

Alterum illud officium, quod in abiiciendis pellium laciniis positum est, nihil sane ad mores pertinere videtur. Sed si constaret, qualis fuerit calcei apud gentes septentrionales forma, non absurdum foret, si quis isto praecepto etiam pietatis vel benignitatis officium inculcari existimet. Etenim laciniae, a divitibus ac proceribus abiectae, facile pauperibus pedum tegmini esse poterant.

---

Iam amissa innocentia diis de suo ipsorum interitu cogitandum erat; sed post Balduri demum caedem, quam impedire nequiverant, summopere sibi, ne perirent, praecavendum existimabant. At primum quidem prohibere student, quominus Lokius, malorum omnium hucusque auctor, amplius sibi noceret; deinde lupum Fenrerem vinculis constringunt. Sed cum obliti essent, lupos ex Fenreris progenie, qui sanguine et carne fraterna caede occisorum pascuntur et luminibus coeli insidias parant, simul in compedes cogere, fiet postea, ut et Lokius et Fenrer e vinculis emittantur diesque perniciei immineat. Quomodo in singulis huius narrationis partibus itidem ad mores passim respiciatur, alio loco ostendam.

Bonnae typis Caroli Georgii.